

# PROGRAMMA

PUBLICIS LATINÆ LINGUÆ,  
et Lusitanæ exercitationibus præmissum.



NOVUM prorsus, et in Lusitania inusitatum quiddam ag-  
gredimur, qui adolescentes de præstantissimis linguæ La-  
tinæ, et Lusitanæ studiis apud gravissimorum hominum  
confessum rationem reddituros adducimus. Sed sicui id mi-  
rum forte videatur, Rollinum, \* *Optimum a Quintiliani*  
*inde ævo magistrum*, ut eruditissimus Gesnerus ait, \*\* *di-*  
*gnissimum cui non populares tantum sui, sed quidquid ubique est hominum li-*  
*teras amantium, obsequantur*, consulere velit, qui, quanta in his exercita-  
tionibus utilitas sit, aperte, solideque ostendit. Unde gravissimi ac do-  
ctissimi Professoris auctoritatem sequentes, Illustrissimos adolescentes po-  
stremis anni curriculi temporibus, annuente Excellentissimo Studiorum Mo-  
deratore, in publicum proferendos judicavimus. Quod quidem in beneficen-  
tissimi studiorum Instauratoris JOSEPHI PRIMI laudem non vulgarem  
cessurum esse sperare licet, qui non Latium ornando solum, verum etiam  
Lusitaniam suam tum Latinæ, tum Lusitanæ linguæ peritissimos cives  
suos esse vult. Itaque superiorum voluntati morem gerentes, gloriæ avidi  
laudabiliter,

D U C E

JOSEPHO MESQUITA FALCONIO,

Regio Latinitatis Professore,

Die 3 hujus mensis *Sept.* vespere,

P U B L I C E R E S P O N D E B U N T

JOANNES VINCENTIUS SALDAGNIA OLIVERIUS. | LUDOVICUS MARIA SALDAGNIA,

Regii Collegii Nobilium Alumni,

I N T E R R O G A B U N T

HENRICUS JOSEPHUS CARVALIUS MELIUS  
Primus ejusdem Collegii Alumnus.

ANTONIUS XAVERIUS MIRANDA  
in eodem Rhetorices auditor.

I N T E R R O G A T I E X P L I C A B U N T

GRAMMATICES naturam, et partes, et quas quælibet pars affectiones ha-  
beat; omniaque ea brevitate, et perspicuitate, qua par est, fient:  
ad quod nova studiorum ratione invitamur. Explicabunt etiam tum Hora-  
tium, tum Virgilii, aliorumque ætatis aureæ auctorum loca selectiora, nec  
non ex nostratibus Fratrem Ludovicum Sofam. Denique Latino sermone in-  
ter se colloquentur Ludovici Vivesii Dialogum memoriter pronuntiantes.

OLISIPONE, apud Michaellem Rodriguezium, et c. Anno 1761.



Manier. d'  
enseig. t. 4.  
pag. 589.

In præfat  
ad Inst.  
Orat. Quin-  
til. §. 17.

